



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tyrocinium Theologicum

Francolini, Baldassare

Herbipoli, 1710

2. Locus, Traditio, Divina. Hic agitur de Traditionibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39295

*Primus locus Theologicus, Scriptura
Sacra*

8. **D**E hoc satis actum est supra. Nunc addo hoc tantum: ex Scripturis in sensu litterali acceptis erui aut unice, aut maximè Theologicum argumentum.

*Secundus locus Theologicus, Traditio
Divina.*

9. **N**omine Traditionis significamus hic Doctrinam Sacram non scriptam, sed vivâ voce, quasi de aure in aurem successivè traditam, quæ alia est Divina, alia Apostolica, alia Ecclesiastica, nempe alia profecta àb ipso Deo docente, alia ab Apostolis, alia ab Ecclesia, quæ rursus alia est de Fide, alia de moribus, alia universalis pro tota Ecclesia, alia particularis pro Ecclesia particulari. Traditio Divina est, e. g. doctrina, quam habemus de perpetua Deiparæ virginitate, de non rebaptizandis Hæreticis, de invocatione Sanctorum, de

Sacrarum imaginum cultu de Septenario Sacramentorum numero Hæc enim in Scripturis non continentur, sunt tamen Fidei doctrina, non igitur doctrina scripta est, sed tradita, igitur traditiones sunt.

10. Traditio Apostolica alia est Apostolica Divina, quæ est ab Apostolis, ut Christi præconibus, seu nomine Christi loquentibus, quam videlicet ipse Christus immediatè docuit Apostolos, & hi Ecclesiam, ut sunt prædictæ, & aliæ multæ ante, & post Resurrectionem Apostolis consignatæ: Alia est purè Apostolica, quæ est ab Apostolis, ut Ecclesiæ pastoribus, ac proinde non descendit à Christo, sed ab ipsis Apostolis, assistente tamen Spiritu Sancto. Hujusmodi sunt quatuor Temporum institutio, Chrifti renovatio annis singulis facienda &c. De primi generis traditionibus, vel etiam de utriusque loquitur Apostolus 2. ad Thessalon. c. 2. v. 15. *State, & tenete traditiones, quas didi-*

didicistis, sive per Sermonem, id est, vivâ voce, sive per epistolam, id est, scripto.

11. Traditio Ecclesiastica est illa, quæ nec à Christo, nec ab Apostolis, sed postea ab Ecclesiæ Prælatiis, vel à populis, Prælatiis consentientibus, introducta est, & tandem per modum legis, vel consuetudinis communiter recepta, & ad nos usque delata. ut est solemnitas & observatio quorundam festorum; jejunium in pervigiliis aliquorum Sanctorum; abstinentia à carnibus die Veneris, vel Sabbathi; antiquus Candelarum, Cinerum, Palmarum, & similium benedictionis usus, aliæque hujusmodi.

12. *Disc.* At unde cognoscam aliquam traditionem esse Divinam, vel purè Apostolicam vel Ecclesiasticam?

Mag. Ex communi Patrum consensu, vel Ecclesiæ definitione. Ex hoc cap. est traditio Divina, perpetua B. Mariæ Virginitas. Rursus ex eo, quod

quod materia auctoritatem humanam excedat. ut quæ pertinent ad numerum, vel substantiam Sacramentorum. Distingues Apostolicam ab Ecclesiastica ex eo, quòd non constet de illius initio; jam enim incepit cum Ecclesia, & vel est apostolica Divina, vel purè Apostolica, ut quòd aqua miscenda sit Calici. *Quod Universa tenet Ecclesia* (inquit S. August. lib. 1. contra Donat. cap. 24) *nec Conciliis institutum, sed semper retentum, non nisi Auctoritate Apostolicâ traditum, rectissime creditur.*

13. *Disc.* Admittuntne Hæretici traditiones saltem divinas, quas dixisti esse doctrinam Dei non scriptam?

Mag. Nequaquam: Sed errant manifestè. Nam admittunt Scripturas, ergo admittere necessariò debent traditiones, tum quia quòd extent Scripturæ Divinæ, quòd nempe hi libri sint Scriptura Divina ab initio à Deo inspirata, & dictata, antequàm ab Ecclesia definiretur,
ex so-

ex sola traditione habebatur, tum quia ipsa Sacra Scriptura docet esse aliquas traditiones, easque esse admittendas. Hinc. 1. Deuter. cap. 32. v. 7. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; Majores tuos, & dicent tibi.* Et Paulus 2. ad Theffal cap. 2. v. 15. *Tenete traditiones, quas didicistis, sive per Sermonem, sive per Epistolam nostram.* Et 2. ad Timoth. cap. 2. v. 1. *Tu ergo fili mi. . . quæ audisti à me per multos testes, hac commenda Fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* Rursus admittunt Patres, præsertim antiquiores; At hi manifestè docent, esse in Ecclesia traditiones, quæ sunt ab omnibus admittendæ. Horum loca reperies apud omnes Controversiarum Fidei Scriptores. Tandem credere debent Conciliis, quæ hujusmodi traditiones statuunt, ut facit Nicænum secundum act. 7. in fine, Concilium VIII. pariter generale act. 8. Tridentinum sess. 4. Ex hoc ergo optimum argumentum petet Theologus.

Ter-